

§. V.

Cinnamomum quid in Deiparae sanctificatione?

1315 Cinnamomum nomen Hebraicum est cinamon, quod meo iudicio a verbo cana, quod est cum zelo amare, facile potest deduci. Ergo cinamon est ardor cum aemulatione, & contentione. Et quidem apprimè nomini convenit res ipsa, & natus cinnamomi; quod certis notis à probatissimis physiologis observatis, licet ostendere. Prima à calore sumitur, qui primus etiam amoris est character. Cinnamomum tripliciter calidum esse agnoscunt omnes Philosophi, ac Medici. Galenus lib. 7. simpli. Medicamentorum Calidum ex tertio ordine dicit. Et lib. 1. de Antidotis, Calidum gustantibus se multum exhibere. Avicenna l. 4. Cinnamomum calidum est, & sicum in tertio. Aptum certè amoris symbolum, qui multipliciter ardet; nam & trinus calor pro maximo in sacris litteris sumitur. Eccles. 43. 3. Tripliciter sol exurens montes. Proverb. 12. 20. Eccles. 4. 12. & generatim triplex pro multiplici. Hinc oritur, fragrantissimi odoris esse, ut Galenus notat lib. 1. de Antido. Dioscori. l. 1. c. 13. nimirum seipsum fragrantia maximè prodit. Adde eximiae suae aromaticae praestantiae, quodammodo esse zelotypum cinnamomum; nam teste Avicenna lib. 4. Ex ejus bonitate est, ut vincat omnem odorem, prater suum, & non sentiat cum eo. Itaque Cinnamomum suavissimo ardens odore cum reliquis aromatibus veluti de fragrantia contendens, naturam exprimit divini Amoris, qui aemuli impatiens & re ipsa, & opinione rivales omnes devincere certat. Sed pergo reliquas observare notas.

1316 Secunda Plin. lib. 12. 19. In cinnamomo praecipua pars virgultorum est tenuissimis partibus, secunda proximis: vilissimum, quod radicibus proximis; quoniam ibi minimum corticis, in quo summa gratiae. Qua de causa praefertuntur cacumina. Divina amoris haec dos est, ut totus fursum in Deum feratur, ut à terrenis radicibus quam longissime ablit, ut instar igneae pyramidis totum se in summa attollat cacumina. Tertia ab eodem Plinio describitur: Cum viret, non odoratus, siccitate gaudens, sterilitur imbre. Gignitur densissimis in vepribus, rubisque, difficilis collectu. Damnatur in primis molle. Et quidem facer Amor non sibi mollis, non blandus, non delicatus: non amcenioris, nec viridioris amator vitae, sed rigidioris ac saevioris cultor; ut qui inter poenitentiae, ac mortificationis vepres saelicus adolescat: at in alios benignior, ac levis. Quarta denique cum efficacissimas cinnamomi vires ad tuendam corporis valetudinem percensuisset Dioscorides, illud pro coronide adjecit: & in summa magni ad omnia usus. Porrò quanti usus, & ad quam multa sit divinus amor, nemo justus ignorat. Tantum ama, nihil non senties proclive, promptum, expeditum. Ama communem omnibus animi morbis invenisti medicinam, & quidem praesentissimam, ac praestantissimam.

1317 Ex his quam simillimis Deiparae amoris rem erga Deum, vel à suae conceptionis puncto, describere, uti facile, ita operolum esset. Lege ejusdem Deiparae hac de re lectissimam

revelationem apud S. Bonavent. to. 6. in opusculo inscripto, Meditationes vitae Christi. c. puncto. 3. Illud unum, primumque ardentissimae charitatis characterem expendo, qui & nomen & naturam alieni odoris aemulam notat. Non Mariae amor rivalem, non prociun, non amatum novit Tartareum; unum una sponsum Deum unice amplexa. Una columba, inde dilecta; quae ignoravit adulterum, quae & cordi & brachio sponsi formam impressam gestavit semper ejus vocis memor: Quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio. Can. 8. 6. Nam de B. Virginis charitate, zelo, & aemulatione divini sponsi, exponunt Rupertus & Guilielmus; hunc dat Del Rio noster. Tu Lector inde huc advoca, quae in rem cadant. Atque à Suario nostro illud gratanter accipe, quod 3. p. to. 2. disp. 4. sect. 8. docet. B. Virginem in primo conceptionis instanti elucuisse actum ferventissimae charitatis, qua Deum supra omnia dilexit: quod apud eundem Doctorem Theologicè probatum videas.

§. VI.

Quid odoratus calamus contulerit huic Deiparae sanctificatione?

1318 Calamum hunc Sapientiae hieroglyphicum praefere, ferre, interpretor. Et quidem ipse calami usus fidem symbolo conciliat; nam calamis arundineis scriptores olim fuisse usos, testis est Plinius l. 16. c. 36. & Martialis in Apophoretis 38.

Dat chartis habiles calamos Memphis tellus. Quin & calamus Doctoris insigne, & quasi proprium stemma agnoscit sacra Scriptura Judic. 5. 14. ubi Debora eos commendans, qui ad bellum accurrerunt contra Sisaram, ait: Et de Zabulon, qui exercitum ducerent ad bellandum. IXX. reddunt in Codice Vaticano & de Zabulon trabentes in virga narrationis scribae. In Complutensi & Regio: potentes in scepro scribae: Quod autem hoc esset sceptrum, expressit Chaldaeus dicens; & de Zabulon scribentes in calamo scribae. Et certè Hebraica shebet sepher, significant stylum seu calamum scribae. Consonat Isaias c. 35. 7. In Isai. 35. 7. cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami & junci. Ubi Hieronymus addit exponendo; quibus scribatur fides. Sed uberius S. Gregorius lib. 29. in Job cap. 14. S. Grego. Qui enim per calami nisi praedicatorum designantur? In Draconum ergo cubilibus viror calami oritur, quia in eis populus, quos antiqui hostis malitia possidebat, Doctorum scientia coarceatur. Similiter lib. 33. cap. 3. & lib. 2. in Ezech. 13. & 15. Eadem est Strabi Fuldenis in Glossa mens, qui Scripturam interpretatur calamum, ab effectu. Suffragantur Graeci Patres ad c. 4. Cantic. vers. 14. ubi Salomon fistulam, & cinnamomum copulavit. Est autem pro fistula eadem Hebraica vox, quae in hoc Exodi loco, quam LXX. calamum etiam translulere; quem Theodoretus lib. 3. in Cantica sic exponit: Per calamum Scriptura divina significatur. Lingua mea calamus scribae velociter scribens. Odoratus est autem calamus aromaticus; lingua enim docentium pietatem omni suavitate referta est. Adde, ab auctore naturae provisum, ut simul cum calamo papyrus nasceretur, teste Plinio l. 24. c. 11. & Job 40. 16. papyrus, & calamum simul legas juxta LXX. translationem. Vide Augustinum in Pl. 67. v. 34.

1319 At enim verò, ex ipsa odorati calami physiologica Symbolum promovere. Dioscorides lib. 1. c. 17. Melior, inquit, est fulvus densè geniculatus. S. Isidor. lib. 17. Orig. c. 8. Calamus aromaticus ad similitudinem calami usualis vocatur: gignitur in India multis modis geniculatus fulvus, flagrans spiritus suavitate. Hos calami articulos densis suffultos nodis, crebris firmatos geniculis, annè ipsos illos divinae nostrae Sapientiae praecipuos articulos inspectabimus, quibus tota nostra sacra doctrina submittitur, & quasi quibusdam internodiis geniculatim suffulta consistit? An fortassis tot calami densissima internodia, nodosam esse sapienti, id est, mille nodis, mille impeditam difficultatibus, innunt? Placebit hoc etiam nonnemi. Secundò, calami hujus odoratam fistulam Plinius araneorum telis plenam esse docet: Inest fistula araneum, quod vocant florem; praestantior est, cui numerosus. Et Dioscorides citatus: plena araneorum fistula. Quidnam haec aranea ad sapientiae, sapientumve hieroglyphicum? Nonnihil omnino. Certè Aranei, tum laboris, tum artis egregium symbolum magni agnovère Philosophi. Aristoteles l. 3. de Histo. Animal. c. 93. Plinius lib. 11. c. 24. & S. Isidorus lib. 12. Origin. c. 5. Aranea, inquit, exiguo corpore longa fila deducit, & tela semper intenta nunquam desinit laborare, perpetui sustinens in sua arte suspendium. Vides in aranei tela & artem, & laborem? Sapientissimum dixit Aristoteles: Plinius verò, erudita operatione conspicuum, appellavit: uterque post Democritum, ex suismet visceribus totum opus deductis filis contexere: Isidorus, nunquam laborem intermittere, sed perpetuum in arte suspendium sustinere. Ergo calamus aromaticus, sapientiae symbolum, araneorum dum telis fistulam interiorum textit, apprimè sapientum tum artem, tum laborem exprimit? Tertium calami characterem dat Plinius breviter: melior, inquit, quo brevior. Quidnam sibi haec pusillae brevitas commendatio? Illam certè interpretor summam sapientis laudem Evangelicam, qua humilitatem doctrinae conjungit. Quarto, idem Plinius: calamus praestantior odore statim è longinquo invizat. Aptè hoc in sapientiam cadit, quae ultrò sui copiam omnibus facit, ut Sapiens ille testatur, Sap. 7. 1. & cap. 6. 25.

1320 Sapientia igitur, per calamum designata, primae Deiparae sanctificationi, jure merito additur. Et quidem geniculosa, summa arte operosa & humilis, quae omnibus sui copiam facile faciat. Sapientiam dum in superbiam elata ultra modum ambit Eva, insipiens facta: Homo cum in honore esset, comparatus est jumentis insipientibus. Non eam fortiter nodosam, geniculatam retenuit scientiam, quae arguenti inimico tam facile manus dedit: non artificiosam, non laboriosam, uti debuit astuti serpentis opposuit sapientiam, quae se tam ineptè circumscribi passa est: avarissima tanti doni invidit posteris, non illam ipsis communicavit. At nova Eva, sapientissima Deipara nunquam non sapientem, nunquam se non doctam praestitit. De summa sapientia Theologica, scientisque ferè omnibus ab instanti conceptionis, & sanctificationis Mariae divinitus infusus, vide quae latè docet noster Suarez 3. p. to. 2. disp. 4. Sect. 3. & 7. & disp. 19. Adde S. Matthaei Apostoli verba ex Ser. in ipsa Deiparae Dormitione Jerosolymis habito, & ab Amadeo P. Ildeph. de Flores in Eccles.

1321 Cassiam secundi amoris, id est, Charitatis in proximum, symbolum esse interpretatur. Primò, quia quam simillima est cinnamomo, quò amore erga Deum significari diximus. Secundum autem Charitatis praecipuum, simile est primo, Doctore Christo Domino Matt. 22. 39. Et cassiam similem esse cinnamomo usq; adeò certum est, ut plerique auctores inter utrumque non distinguant, ut videre est apud Matthiolum in lib. 1. Dioscoridis c. 12. & 13. & Roivillium l. 18. de Histo. Plantarum c. 36. Sed distinguendum tamen, uti distinxerit Plinius l. 12. c. 19. Theophrast. l. 9. 5. & Moyses hic pro diversis aromatibus cinnamomum, & cassiam accipientes. At verò, licet distincta sint, ita vel natura, vel viribus conveniunt, ut alterum in alterum transire formam soleat: teste Galeno l. 1. de Galeni Antidotis, ubi addit, videlicet eximiae cassiae ramulos omni ex parte cinnamomum referentes; contra cinnamomi surculos cassiae prorsus persimiles. Idem Galenus ait, primam cassiam extremum cinnamomum dignitate attingere. Et quidem vel ipsae cinnamomi, & cassiae naturae poscunt, ut primas partes illi, secundas huic concedamus, quod ad amoris symbolum attinet; nam & cinnamomum primus arboris cortex est, cassia secundus à primo communitus. Cinnamomum triplici calore fervet, ut supra docuimus, ac cassiam non ita ac cinnamomum calidam esse, inter omnes constat. Unde S. Isidorus lib. 17. Orig. c. 8. Cassia est virtutis cinnamomi similis, sed potentia inferior. Unde pro cinnamomi vice duplex ejus pondus in medicamentis admiscetur.

1322 Haec etiam omnia ad Virginis sanctificationem spectant. Porrò Deiparam Mariam Deum à primo suae conceptionis instanti Christum D. totius humani generis Redemptorem complexa est, ad ejusdem communem generis redemptionem, suam charitatem extendisse, haud dubium, ut quae ex illa redemptione non

Diosco. S. Isido.

Odorati calami physiologia.

Fidei articuli.

Aranea & laboris, & artis symbolum.

S. Isido.

Aristot. Plini.

Plini.

Sapientia Deipara in sua conceptione.

sancto Monacho per revelationem accepto, atque ab ipso in sua Apoc. relato Raptu 8. Sic ergo Matthaeus: Annuntiavimus & anima tua, & Maria, praclarissimas virtutes. Nulla tibi scientia, nulla cognitio deest: nihil te latet, nihil fugit, nihil abscondit Deus, qui seipsum tibi aperte ostendit. Et intra: Non alicui ignorantiae subiecta fuisti: ingenio, & industria, virtute, & bonitate semper viguisti; semper integra fuisti, &c.

§. VII.

Cassia quid in hoc unguento referat pro Mariae sanctificatione.

1321 Cassiam secundi amoris, id est, Charitatis in proximum, symbolum esse interpretatur. Primò, quia quam simillima est cinnamomo, quò amore erga Deum significari diximus. Secundum autem Charitatis praecipuum, simile est primo, Doctore Christo Domino Matt. 22. 39. Et cassiam similem esse cinnamomo usq; adeò certum est, ut plerique auctores inter utrumque non distinguant, ut videre est apud Matthiolum in lib. 1. Dioscoridis c. 12. & 13. & Roivillium l. 18. de Histo. Plantarum c. 36. Sed distinguendum tamen, uti distinxerit Plinius l. 12. c. 19. Theophrast. l. 9. 5. & Moyses hic pro diversis aromatibus cinnamomum, & cassiam accipientes. At verò, licet distincta sint, ita vel natura, vel viribus conveniunt, ut alterum in alterum transire formam soleat: teste Galeno l. 1. de Galeni Antidotis, ubi addit, videlicet eximiae cassiae ramulos omni ex parte cinnamomum referentes; contra cinnamomi surculos cassiae prorsus persimiles. Idem Galenus ait, primam cassiam extremum cinnamomum dignitate attingere. Et quidem vel ipsae cinnamomi, & cassiae naturae poscunt, ut primas partes illi, secundas huic concedamus, quod ad amoris symbolum attinet; nam & cinnamomum primus arboris cortex est, cassia secundus à primo communitus. Cinnamomum triplici calore fervet, ut supra docuimus, ac cassiam non ita ac cinnamomum calidam esse, inter omnes constat. Unde S. Isidorus lib. 17. Orig. c. 8. Cassia est virtutis cinnamomi similis, sed potentia inferior. Unde pro cinnamomi vice duplex ejus pondus in medicamentis admiscetur.

1322 Haec etiam omnia ad Virginis sanctificationem spectant. Porrò Deiparam Mariam Deum à primo suae conceptionis instanti Christum D. totius humani generis Redemptorem complexa est, ad ejusdem communem generis redemptionem, suam charitatem extendisse, haud dubium, ut quae ex illa redemptione non

non ad ipsos homines solum salutem, sed ad Deum ipsum quam maximam perventuram gloriam certo cognosceret. Multa apud Patres invenire est, quibus hanc erga nos Virginis charitatem commendemus: unum Damasceni testimonium Orat. 1. de Nat. B. Mariæ libet expendere, qui hunc Virginis amorem ab ipso repetit conceptionis puncto. Sic ille: Nam quia universa terra in fœdissimam sese provolverat libidinem, ac Domini populus à Domino Deo suo aberraverat, factusque fuerat populus Domini non populus ipsius, & qui misericordiam consecutus non misericordiam consecutus, & qui dilectus non dilectus, ob eam causam munc Virgo præfca fornicationis adversaria gignitur, creatur & nescit, ac Deo despondetur, Deique misericordiam parit, ac populus Dei efficitur, qui prius Dei populus non erat, & qui prius misericordiam minime consecutus fuerat, misericordiam nanciscitur, & qui prius non dilectus erat, diligitur. Vide de hac Mariæ dilectione & charitate erga nos, S. Bernardum Ser. super Signum magnum. ubi plura pro hoc argumento. Vide speculum D. Bonaventuræ c. 8. Ad Spinel. nostrum l. de Laud. Mariæ c. 16. & nostrum Mendozam to. 2. in l. 1. Regum c. 4. v. 11. Annotatione.

§. VIII.

Oleum, bellissimum divina gratiæ symbolum extat: apertissime ad primam Deiparæ sanctificationem spectat.

1323 Sumere jubetur Moyses ad sacri unguentis compositionem Olei de Olivæ mensuram bin. Etenim divinæ gratiæ hieroglyphicum esse Oleum, agnoscunt S. Athanas. lib. 2. contra Arrian. S. Greg. 19. Moral. cap. 11. & lib. 4. in 1. Reg. c. suo 4. S. Ildo. in Quæstio. in Exod. c. 49. Sanctus August. 10. 10. Ser. 206. de tempore, & tomo 8. in Pl. 103. Concione 2. & tomo 7. lib. 2. contra Epistol. Parmeniani cap. 10. & lib. 15. de Trinitate cap. 26. Et omnes illi Patres qui v. 9. Pl. 44. Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, de gratiæ habituali Christi D. exponunt. Videndi apud nostros Pineda lib. 5. de Rebus Salomonis c. 4. & Lorinus ad illum Psalmum. Vide etiam Interpretes tum antiquos, tum recentiores ad cap. 61. Hæc: Spiritus Domini super me, eod quod unxit me, & ad cap. 4. Lucæ. Præsertim videbis nostros Maldonatum, Toletum, Baradam tomo 2. lib. 9. cap. 10. Salmeronem to. 4. p. 2. tr. 10. & Suarium tom. 1. in 3. p. disp. 18. sect. 2. Tenam ad c. 1. Epist. ad Hebræos, difficultate 14. Scio oleum & pro Pacis, & pro amicitia, & pro misericordie symbolis frequenter accipi; sed hæc omnia eodem spectare certum est, cum pax, amicitia, misericordia, & ejusmodi alia, ita sint gratiæ agnata, ut gratiæ nomine facile intelligantur. Inde enim factum, ut sacra Scriptura nomine ben, & gratiam, & misericordiam significet: est nimirum misericordia gratus quidam beneficiendi affectus.

Oleum natura gratiam divinam refert.

1324 Sedais, quænam est olei natura, quæve facultates gratiam referentes? Prima, quod sicut prima gratia non coacta est, non jure emuncta, non merito expressa, sed ultronea profusus, & spontanea, juxta Pauli pronuntiatum ad Rom. 11. 6. & Tridenti. sessi. 6. c. 8. ita primum oleum nobilissimum illud est, quod Olea ultrò fundit, non invita, non prelo,

non mola, non vi coacta. Palladius lib. 12. de Palladi. Re rustica titulo 17. Græci in consuetudine olei præceptis ita jusserunt. Molam primo oleo debere leviter esse suspensam: ossa enim confracta sordescunt: quare de solis carnibus sit prima confectio. Oleum nobilissimum erit quod sponte defluerit. Columella lib. 12. de Re rustica cap. 50. Longe melioris saporis est oleum, quod minore vi preli defluerit. Idem longè antea præcepit Dionysius Uticensis lib. 9. de Agric. c. 19. Quod ex levi compressione profluit, jucundissimum & tenuissimum existit. Quin & olea vim omnem adteratur, teste Plinio lib. 15. cap. 3. Uticense relato lib. 9. cap. 17. & M. Varro lib. 1. de Re rustica cap. 55. Vides ut oliva, ut oleum primum, ac laudatissimum, eam gratiam præ se ferat, quæ & re, & nomine merè est gratuita, spontanea, ac liberalis? Est quidem alia, atque alia gratia, quæ nostris meritis, laboribus, operibus augetur; & est secundarium, ac tertiarium etiam oleum, quod scilicet admotis, ac submissis machinis, prelo, mola, trapeto, solea, rudicula, exprimitur. Hæc lector tu facile conferes.

1325 Altera gratiæ nota est, qua peccati fordes mundissima ita respuit, ut cum peccato esse nequeat; est & oleum mundiciæ amantissimum. Agnoscunt naturam hanc omnes Physiologi. Dionys. Uticensis lib. de Agric. 9. cap. 2. Uticen. Cum pura sit olea, puros etiam vult esse suos collectores; sic enim & in sequenti tempore plurimum fructum exhibebit. Ferunt sane in Anazarbo Cilicia pueros castos oleam colere, & propterea oleam apud ipsos fertillissimam, ac fructuosissimam esse. Et c. 17. de mundicia in legendis olivis agit. Qua de re multa observat Columella lib. 12. c. 50. Palladius verò lib. 1. c. 6. Græci jubent olivam cum plantatur, à mundis pueris, atque virginibus operandum; credo recordari arbori huic esse præfulem castitatem. Vide M. Varronem lib. de Re rustica c. 65. & 66. & Plinium lib. 15. c. 6. Addo, oleum in propriissima lingua sancta, à munditia dici jessar, à claritate, puritate, limpiditate, ut interpretatur lexicographi, & S. Hier. lib. de Nom. Hebraicis ex Exod. Item alio nomine Zabab, purum instar auri purissimi. Sic Pagninus in lexico, & Zacha. 4. 12.

1326 Tertia divinæ gratiæ nota est, quod vitalis virtutum omnium radix sit, à qua omnes vitam, viresque hauriant, quibus proprias functiones obire queant. Simile quid in oleo observant docti quique Philosophi. Dioscorides lib. 1. de Mare. Medica c. 28. postque optimum oleum, de quo agimus, unguentorum compositionibus idoneum esse pronuntiat, adiecit: Corpus promptius ad obeunda munera reddit. Et Plinius l. 23. c. 4. Omni oleo molitur corpus, vigorem, & robur accipit. Et Dionys. Utic. l. 9. de Re rustica c. 2. Maximum bonum est ad omnem vitæ curam, ac medelam ipse olea fructus. Galenus lib. 2. simplici. Oleum omnium ferè materia est medicamentorum, facile vergens in eorum, que ipsi admiscuntur, qualitatē. Quæ ipsissima divinæ gratiæ dos est, ut omni, vel Sacramentorum, vel virtutum medicamentis, unguentisque commixta, & temperata, ipsorum facultates, vires, effectus promoveat.

1327 Quartò permitto lectori, ut illud apud se etiam expendat, quod Spiritui sancto, totius sanctitatis, omniumque gratiarum largitori, per singularem Theologiæ attributionem Gratia adscribitur. Cui simile quid in oleo, tanquam in probatissimo gratiæ symbolo, licebit

S. Damaf.

Pl. 44. 9.

Isai. 61.

37

Columella

Uticen.

Gratia merè gratuita.

Gratia cum peccato esse nequit.

Uticen.

Olea mundiciam amat.

Palladi.

Oleum à claritate dicitur.

773

Gratia virtutum omnium vitalis radix.

Diosco.

Plini.

Uticen.

Galen.

Spiritus sancto gratiam per attributionem adscribitur.

licebit observare. Olivæ enim aëris perfusione lætus sese induere, oleumque uberius provenire, unus præ cæteris prodit Dionys. Uticensis lib. 9. de Re rustica c. 3. his verbis: Aer calidus, & sicus olea commodus est. In universum autem observandum, quod venti non plantas modò, sed & omnia vivificant. Virides igitur potissimum illas olearum plantas reperies, ad quas venti status ingreditur, latius spatium in medio plantarum relictis, per que ventus liberè inspirare potest, &c. Nec de nihilo est mensura hinc oleo designata: est enim hinc divitiæ, opulentia, copia, ut eà mensurà significarentur divitiæ gratiæ per oleum significata.

Uticen. Aer calidus, & sicus, olea commodus est. In universum autem observandum, quod venti non plantas modò, sed & omnia vivificant. Virides igitur potissimum illas olearum plantas reperies, ad quas venti status ingreditur, latius spatium in medio plantarum relictis, per que ventus liberè inspirare potest, &c.

Gratia Deiparæ data in sua conceptione qualis quantaque.

1328 Hisce omnibus nominibus oleum in hoc aromatico unguento, quo Deiparæ sanctificatio symbolice præstatur, divinam gratiam Mariam mundantem, atque sanctificantem, significare existimamus. Principio primam sanctificationis gratiam lætissimi instar Olei fuisse, nempe gratis Mariæ collatam, non est quod differamus; reliquis deinde accretionis magno Virginis labore factas. Utramque iplamet Deipara professæ est apud S. Bonavent. 6. Opusculo de Meditat. vitæ Christi c. 5. Secundò divina gratia, si usquam alias propriæ naturæ vires in Maria exercuit, utpote quæ universas peccati fordes excludens, cælesti quadam puritate sanctissimam animam affectit. Tertio à divino spiritu id præstitum ab ipso Mariani conceptus momento, disertè docuit Athanasius in Orat. de SS. Deipara ad illa Angelit verba, Spiritus S. superveniet in te: nam divinum ejus afflatum in Mariam semper adspirasse docet. Quarto quàm promptam, quàm aptam, quàm facilem, quàm expeditam totam reddiderit Mariam ad universas perfectas functiones, tota Deiparæ vita restatur; nimirum divina gratia totam imbuat Virginem, cælestique quadam subtilitate, dum in universam animam penetravit, & myrrhæ, & cinnamomi, & cassiæ, & calami vires detulit, id est, Christi passionem primo peccato oppositam, ardentissimam in Deum charitatem divini honoris zelantissimam, amorem erga proximum ferventem, humilem sapientiam astutiæ serpentinæ objectam. Has, inquam, virtutes, reliquasque ipsi annexas gratia secum convexit, uti omnium illarum vehiculum, generaleque spiritualis vitæ remedium. Nam simul cum divina gratia in prima illa Mariæ sanctificatione, actus ipsos virtutum elucisse sapienter docet noster Suarez citatus, in ea dis. 14. & 19. Porro hujusce gratiæ uberissimum fuisse mensuram, ipsum nomen mensuræ à Deo designatè indicat; nempe bin, id est, copia, opulentia, divitiæ. Nimirum copiosissima ditissimaque extitit immensa gratiæ vis, quam Christus in prima sanctificatione Matri indidit. Unde Eusebius Emisensis Ser. in Evan. Lucæ, Misus est Angelus Gabriel, sic fatur: Quis unquam tantam gratiam habuit, quantam V. Maria? Aliis enim ad mensuram datur, hæc autem gratia plena dicitur. Magna, & ineffabilis gratia est, ut una ex tantis millibus eligatur, quæ eam gratiam plena sit priusquam concipiat, post conceptionem, quantà Dei abundavit gratia, quis cogitare possit?

Euseb. Emif.

Ipsò unguento SS. confectum.

1329 Hic observo; eo sacro unguento, ex myrrhæ, cinnamoni, calami, cassiæ, & oleo symbolica mixtura confecto designari ipsamet sanctificationem, seu sanctitatis largitionem. Quod vel ipsæ voces, quibus usus est P. Ildeph. de Florès in Eccles.

Moyse, apertè persuadent; cum enim Tabernaculi sanctificationem hoc unguento præstitam describeret Num. 7. 1. sic ait: Factum autem est in die, qua complevit Moyses Tabernaculum, & erexit illud & sanctificavit. Atque hujus sententiæ sunt S. Cyrillus Alexan. lib. 9. de Tabernaculo, & l. 10. S. Dionys. Areop. Num. 7. 11. de Ecclesiast. Hierarchia, c. 6. Amalarius lib. 1. de Eccles. Officiis c. 23. & 27. Rabanus l. 1. de Instit. Clericorum c. 30. & 45. Ivo Carnotensis Ser. de Sacramentis dedicationis. Vide cæteros, quos recenset Stephanus Durantus lib. 1. de Rebus Ecclesiæ Catholicæ cap. 24. n. 7. & 8. & c. 25. n. 1. Hæc porò sanctificatio eo sacro unguento designata portendit indubiè Mariæ sanctificationem, quam commendamus, quamque commendat Pfaltes cum intuitu ad Tabernaculi sanctificationem, dum ait: Sanctificavit Tabernaculum suum Altissimus.

§. IX.

De symbolico pondere illorum aromatum; & quomodo spectet Mariana sanctificationis mysterium.

1330 Ad hæc difficilia visa sunt, ut neminem legerim Interpretum, qui symbolum evolere tentaverit. Difficultatem ingenue professus est S. Cyrillus Alexan. lib. 9. de Tabernaculo: De qualitate, inquit, & compositione, inæqualitate etiam, quod ad pondus pertinet, ditorum aromatum, nihil equidem habeo dicere, sapientibus enim veritas cara est. Vereor sanè post tantum Doctorem aliquid effutire, quod insipientem potius audaciam, quàm veram Philosophiam prodat. Dicam tamen, sed hæsitanter, non ut ita firmiter statuam, sed ut sapientibus censendum in medio relinquam.

Sume tibi (ait Dominus Moyse) aromata Exod. 30. prima myrrha, & electa quingentos siclos. Quæ ties in sacra Scriptura, maxime symbolica, numeri observantur, nemini dubium est Sapientum, ad Arithmeticam Philosophiam rem esse revocandam. Quod usque adeo certum est, ut eum doctissimus Augustin. lib. 4. de Trinit. c. 6. stultum, atque ineptum pronuntiaverit, qui hisce numeris virtutem inesse symbolice fuisse inficiatus. Igitur numerus quingentesimus perfectæ cujusdam libertatis hieroglyphicum esse, tum ex sacris Scripturis, tum ex doctissimis Patribus certò constat. S. Hier. in cap. 42. Ezech. v. 17. dum explicat quatuor parietum mystici illius Templi Evangelici mensuram quingentis calamis constantem, sic scribit: Quingentesimus numerus, qui vicinus est quinquagenario, quod ad remissionem pertineat peccatorum, non solum vetus Scriptura, sed & Salvatoris in Evangelio verba demonstrant. Luc. 7. Duo debitores erant cuidam feneratori, unus debebat denarios quingentos, alius quinquaginta. Eadem habet idem Doctor Isai. 3. & eadem est Origenis mens Hom. 25. in c. 13. Num. Gregori etiam lib. 1. in Job c. 13. dum quingenta jugaboum & quingentas asinas Jobi recensens, Jubilei numerum refert, quinquagenarium. Nam quingentesimus, cum decies quinquaginta contineat, Jubileum significat decies perfectum, id est, absolutissimum, omnibusque numeris completissimum; Jubileum autem multi libertatem interpretantur, in infra aperiemus.